



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola II. Caelestini Papae III. Ad Lincolniensem Et Roffensem Episcopos.  
De irritatione sententiae in Dunelmensem episcopum per Eboracensem  
nulliter prolatae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

feueritate regia in recessu suo dispositum aliquatenus immutare præsumpserit, omni occasione vel simultate postposita conuenientes in vnum, prædictum comitem, & omnes antedictæ præsumptionis consiliarios, auctores, complices & fautores, accensis candelis, & pulsatis campanis, omni appellatione & excusatione nec non & personarum acceptione postpositis, publice nuntietis vinculo excommunicationis adstrictos. Et tamdiu faciatis sic excommunicatos ab omnibus arctius euitari, nec non & in terris illorum, & in aliis quas inuaserint, præter pœnitentias, & paruulorum baptismata, diuina penitus sine appellationis obstaculo prohibeatis celebrari officia: donec iam dicto legato tam a captione quam a iuramento primitus absoluto, & regno ipso in statum a prænominato rege in recessu suo dispositum reformato, cum testimonio literarum ipsius legati, & vestrarum pariter ad sedem veniant apostolicam absoluendi; scituri pro certo, quod si huius nostri executione præcepti negligentes fueritis aut remissi, non minorem in vos præstante Deo duximus ultionem, quam si prædicta iniuria personæ nostræ vel vni de fratribus nostris esset irrogata.

Datum Laterani quarto Nonas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

## EPISTOLA II.

## CÆLESTINI PAPÆ III.

AD LINCOLNIENSEM ET ROFFENSEM EPISCOPOS.

De irritatione sententiæ in Dunelmensem episcopum per Eboracensem nulliter prolata.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus  
Lincolniensi & Roffensi episcopis, & dilecto filio abbati de  
Burgo, salutem & apostolicam benedictionem.*

**S**ICVT ea, quæ a venerabilibus fratribus coepiscopis nostris circumspectione prouida & ratione præuia statuuntur, debemus illibata seruare, ita quæ minus quoque considerate aguntur prouidentia pleniori corrigere, & in statum debitum nobis imminet reformare. Cum itaque venerabilis frater noster Gaufridus Eboracensis ar-

*Concil. Tom. 28.*

G

chiepiscopus in venerabilem fratrem nostrum Hugonem Dunelmensem episcopum, & quosdam alios excommunicationis sententiam promulgasset, & eorum nuntiis ad nostram præsentiam venientibus, in consistorio nostro fuisset hincinde super ea sententia & quibusdam aliis articulis plenarie disceptatū: nos cognoscentes tam in ipsum quam in alios iaculatam sententiam inconsulte prolatam fuisse, nullius causæ rationabilis munimine roboratam, eam de consilio fratrum nostrorum denuntiauimus publice non tenere, irritantes eam, ne quid auctoritatis habeat inhibentes. Vt itaque quod nos decreuimus per partes vestras publice nuntietur, per apostolica scripta vobis mandamus, vt eandem sententiam per ecclesias vestras prædicetis auctoritate sedis apostolicæ irritatam: vt fidelium populus tam ipsi episcopo, quam aliis vna cum episcopo iniuste ligatis, fraternæ communionis participium secure impendat, & ab illorum nullatenus propter hoc communionem recedat. Datum Laterani.

## EPISTOLA III.

## CÆLESTINI PAPÆ III.

AD EPISCOPVM ET CLERVM EVGVBINVM.

De sancti Vbaldi canonizatione.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri B. episcopo, & dilectis filiis B. priori, clero & populo Eugubino salutem & apostolicam benedictionem.*

**B**ENEDICTVS Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui secundum multitudinem miserationum suarum illis qui natura fuerant filii iræ spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba papa, indulget, & homines ex lutea materia constitutos in confortium angelorum & gloriam sua pietate assumit. Sicut factum est temporibus nostris de sanctæ recordationis Vbaldo pontifice vestro, qui cum pius & iustus, dum in carne viueret, haberetur, post transitum a vicinis & longe positus propter miracula, quæ per merita eius operatus est Deus, sanctus meruit æstimari. Impletum est in ipso quod Propheta dixit in psalmo: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues*

Psal. 44.